





Pri. 10. Rym. 1  
111  
**PARI FRATRVM**  
PRAENOBILI,  
**CANDIDATIS CONSULTISSIMIS,**  
**IVSTO CHRISTOPHORO**  
NEC NON  
**ADOLPHO LVDOVICO**  
**BOEHMERIS,**  
QVORVM ILLE

DE

**IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS EX FEV-**  
**DORVM OBLATIONE DESCENDENTIBVS,**

HIC VERO

DE

**FEVDO DECIMARVM, QVOAD PERTI-**  
**NEAT AD NOVALES,**

POST QVAM PVBLICA EXAMINA  
CVM LAVDE SVSTINVERVNT,

D. X. SEPT. MDCCCLXX.

DISPV TABVNT,

**HAECCE ERVDITIONIS SPECIMINA,**

DE

**DECIMIS HEBRAEORVM**

PAVCA PRAEFATI, SINCERE GRATVLANTVR  
ORDINARIVS, DECANVS, CAETERIQVE PROFES-  
SORES FACVLTATIS IVRIDICAE.


HALAE MAGDEBURGICAE

LITTERIS GEBÄVERIANIS.





UDOPPHOEA DQADAOI CO  
BOLINERIS.



In eo iam estis, CANDIDATI Consultissimi, ut in cathedram ascendatis VESTRVM in Jurisprudentia professorum publica specimina edituri. Ascendite itaque (magnopere laudamus VESTRVM consilium) ascendite felicibus auspiciis; reddite rationes Patriae, cuius commodis promovendis se se natos esse omnes boni existimant, de egregiis in liberalium artium studio, iurium praesertim scientia, proficiendi conatibus. Sic praeclara premitis Illustrium, quorum et sanguine animamini et spiritu, BOEHMERORVM vestigia; sic viam VOBIS panditis ad elata illa culmina honorum, quibus ILLI dudum mactati se se pree aliis conspicuos praebuere; sic ad virtutem, sic ad laudes, sic ad famam ibitis, qua et Avus, IVSTVS HENNINGIVS

(a) 2

BOEH-

BOEHMERVS, Decus illud ICTorum immortale, qua et PATERVI, ICTi Praestantissimi, quorum Alter Goettingensem, Francfurthanam Alter suae eruditionis radiis Academias illustrant, qua denique et PARENTS Optimus, PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMERVS, huius Fridericianae insigne ornamentum, Facultatis Medicae Senior, Vir de re medica, anatomica et chirurgica optime meritus, late dudum omnia compleverunt. Sinite igitur, CANDIDATI Consultissimi, et nos esse in eo, ut haecce VOBIS fausta fortunataque gratulemur: digni enim piae aliis nostra estis gratulatione. Verum sinite quoque, ut ante, quam hoc nostro perfungamur officio, de *Decimis Hebracorum* paucis verbis, sic enim mos est, nec plura permittit instituti ratio, differamus. Sit itaque

## §. 1.

Non heri aut nudius tertius decimorum invaluit usus, sed antiquissima res est, non Israelitis solum, veri Numinis cultoribus, sed idololatris etiam nota. Sic oblatae Melchisedeco ab Abrahamo decimae sacer codex meminit Genes. XIV. 20; sic Iacobum Patriarcham voto se obstrinxisse ad decimam Domino Deo reddendam legimus Genes. XXVIII. 20 sq. Quod vero inter gentiles etiam atque idololatras frequens decimorum Diis, e spoliis praesertim victoria partis, exhibitarum usus obtinuerit, scriptorum fide dignorum testimonii iam alii probatum dederunt <sup>a)</sup>). Verum de solis Hebraeorum decimis nobis iam sermo.

## §. 2.

Maimonides aliquie Hebraeorum Magistri primum, qui decimas Deo reddendas instituerit atque pracepto quodam

<sup>a)</sup> SPENCER de LL. Hebraeor. p. 720 sq. ALEX. ab ALEXAND. ritual. tom. 2. diff. 1. c. 10. sect. 1. 2. de genial. dieb. lib. 3. c. 22.

ordinaverit, Isaacum laudant<sup>4)</sup>). Verum silent sacrae paginae de eiusmodi Isaaci pracepto, quod certe, si vera esset fabula, utpote memoria dignissimum silentio non fuisset praeter eundum. Neque id institutum ex verbis Genes. XXVI. 12: et seminavit Iacob in terra illa, et invenit in illo anno centuplum, et benedixit ei Dominus, quae pro re sua recitant Rabbini, evincitur, utpote quae ne mentionem quidem decimarum faciunt. Deinde huic sententiae vel solius Iacobi refragatur exemplum. Ad quid enim voto ei opus, si etiam sine voto ad separandas Deo decimas ex Isaaci instituto fuisset obligatus?

§. 3.

Ante legem Mosaicam Israelitis publico pracepto necessitatem fuisse impositam de annuis suis proventibus partem decimam in pios sacrosque usus conferendi, memoriae proditum non est. Lege autem Mosica eos varii generis erogationibus ad sublevandum cultus divini splendorem, personarum praefertim sacrarum alimoniam necessariis fuisse obnoxios, tam certum est, quam quod certissimum. Tacemus iam primogenita illa, de quibus Exod. XIII. 2. 12 sq.; tacemus primitias, quarum quamvis quantitas Exod. XXIII. 19. Deut. XXVI. 2 sq. non fuerit determinata, moribus tamen atque Sapientum traditionibus invaluit, ut agrorum possessores ex annuis terrae proventibus partem quadragesimam aut certe sexagesimam, nunquam vero sexagesima minorem praestarent<sup>5)</sup>, quae omnia

(a) 3. Deus

<sup>4)</sup> SELDEN de synecr. et praef. lib. 6. c. 2. §. 7 et 10. RECHENFEST Hebraeor. lib. 1. c. 2. p. 7. sq. BERGER de sacris Judaeor. ritib.

<sup>5)</sup> Tract. talmud. TERVMOTH antiqu. part. I. §. 169. c. 4 m. 3. GODWIN Mos. et Aar.



Deus sibi sacra esse atque Sacerdotibus praeberi praecepit  
Num. XVIII. 11 seqq. Deut. XVIII. 4. Verum de foliis deci-  
mis iam verba facimus.

§. 4.

Hisce primogenitis primitisque ante omnia deductis  
de reliqua fructuum substantia etiam decimas separare iussi  
sunt Israëlitae: *omnes decimae sive de semine terrae, sive de  
fructu arborum Dominum sunt, et illi sacrificabuntur Levit.  
XXVII. 30;* porro: *omne decimum boum et ovium et cuiuscunquem  
animalis, quod transit sub virga, sanctum erit Do-  
mino.* Levit. XXVII. 32. Modum pecora decimandi vir-  
ga miniata, quam decimationem sine delectu et absque ulla  
libmutatione fieri oportebat Levit. c. l. v. 33, depingunt,  
atque simul, quae animalia decimationis iuri non fuerint  
obnoxia, quibusque anni temporibus fieri haec decimatio  
debuerit, ostendunt Rabbini <sup>a)</sup>). De frugum vero decimis  
ex legis divinae ambitu facile est ad intelligendum, eas  
etiam ex oleribus et frugibus minutioribus (decimas mino-  
res, den kleinen Zehnten, den Schmalsaat-Zehnten hodie  
vocamus) fuisse praestandas. Hinc etiam enata notissima illa  
Talmudicorum regula: *omne esculentum, quod custoditur  
et e terra incrementa accipit, decimationi est obnoxium* <sup>c)</sup>). Veritate huic rei suo Pharisei exemplo confirmant,  
quos ex mentha etiam atque anetho cuminoque decimas  
dedisse, legimus Matth. XXIII. 23. quod, tantum abest, ut  
Salvator improbaverit, ut id potius non omittendum esse  
censuerit. Caeterum de ratione, ob quam pars fructuum  
decimis debentur, non solum Talmud <sup>b)</sup> sed et apud RECHENBERG, c. l. m. I.  
§. 97.

decima potius, quam septima, octava aut duodecima se se  
probaverit sapientissimo Numini, late differit, eamque ex  
numeri denarii singulari qualitate, perfectione ac sanctitate  
deducit SPENCERV<sup>s</sup> f).

§. 5.

Attribuit autem Deus has decimas Levitis in remu-  
nerationem sacri, quo defungebantur, ministerii, et quia  
nulla eis in divisione terrae Canaanis obtigit portio Num.  
XVIII. 21 sqq. Hae decimae Levitis debitae audiunt *deci-  
ma prima*. Ab hac differunt *decima decimae*, *decima secun-  
da* ac *decima tertia*, quae ultima etiam *decima pauperum*  
appellatur. Nimirum Levitae e decimis, quas ex Israeli-  
tarum fructibus acceperunt, rursus partem decimam praes-  
tare Sacerdotibus debuerunt Num. XVIII. 26 sqq. Et haec  
*decima decimae* est. Ab eo, quod post dedueta hasce de-  
cimas mansit reliquum, quilibet Israelita rursus separavit  
partem decimam, qua annis post sabbaticum primo, se-  
cundo, quarto et quinto ipse cum sua familia atque Leviti-  
tis, Domini iussu, Hierosolymae in atrio templi vesceba-  
tur, vel saltē, si fructuum species ob loci distantiam se-  
cum Hierosolymam ferre commode non posset, eas distrahe-  
bat, pretio ex iisdem redacto lautas epulas, rursus invitatis  
ad convivium Levitis, sibi parans, iterum non in alio, quam  
sancto loco consumendas Deut. XIV. 22 sqq. Annis vero  
tertio ac sexto (septimo enim, qui sabbaticus erat, terra  
quiescebat Exod. XXIII. 11, adeoque nullus eo anno de-  
cimationi locus dabatur) eam decimam domi suae Levitis  
et advenis, pupillis viduisque comedendam distribuebat  
Deut. XIV. 28 sq. XXVI. 12. Illa decima Hierosolymae

CON-  
f) c. I, p. 722 et 728 sq. *ut te duplum modicū mētūvērārē* 9



consumenda *decima secunda*, haec vero *tertia vel decima pauperum* dicta. Ita decimas distinguunt Hebraeorum Sapientes in suis 613 praeceptis <sup>a)</sup>), ita eartum species HIERONYMVS <sup>b)</sup>), ita Nostrates recentent rerum iudicarum periti <sup>c)</sup>.

§. 6.

Verum ita haec intelligenda non sunt, acsi Israelita laicus praeter partem illam sexagesimam, de qua (§. 3), quamque etiam *oblationem* seu *elevationem magnam* vocant, quotannis ter aut quater separare decimas a suis prouentibus necesse habuerit. Siquidem decimam decimae non ipse, sed Leuita praefabat. Decima vero secunda et decima pauperum non erant duae diuersae decimae, sed vna, neque eodem anno utramque praefari oportebat, sed potius haec illam, hanc illa perimebat. Vtrum vero secunda decima etiam vna fuerit eademque cum decima prima, vt cum Burmanno REIZIVS <sup>d)</sup> putat, nondum extra dubitationem positum est. REIZII sententia a vero ab ludere vel ideo nobis videtur, quia decimae primae Leuitis pendebantur instar stipendi pro suo in sacris peragendis ministerio in suam suorumque sustentationem, non autem epulae ex iisdem ab ipso colono erant instruendae Num. XVIII. 31; porro non sanctae fuerunt, sed profanae, nec semper Hierosolymam asportandae, sed quae praeberi etiam Leuitis potuerunt extra Hierosolymam

com-

<sup>a)</sup> vid. praecept. 127-131.

<sup>b)</sup> c. I. X de decim.

<sup>c)</sup> NICOLAI ad Carol. Sigon. de republ. Hebraeor. lib. 4. c. 15. lit. 1. <sup>d)</sup> in not. 2. ad GODWIN. Mos. sq. BASHVYSEN system. antiquit. et Aar. lib. 6. c. 3. §. 5.

hebr. lib. 1. sect. 4. c. 10. §. 4 sq.

LIGHTFOOT oper. posth. p. 102.

GODWIN c. I. c. 3. §. 3 sq.

commorantibus<sup>1)</sup>; illis praesertim Leuitis pars earum plura cessit, qui 48 urbes, Ios. XXI. commemoratas, tanquam academias docendi descendique causa incolebant<sup>2)</sup>). Denique fas erat Leuitis decimas primas comedere ubique locorum Num. XVIII. 31. Secus omnia in decimis secundis se habebant. Hae enim sanctae reputabantur, non nisi Hierosolymis in atrio templi, non a solis Leuitis, sed a domino fructuum cum sua familia, munda tamen ea, atque cum Leuitis comedendae Deut. XII. 7. 17. sq. XIV. 22. sqq.<sup>3)</sup>). Iuuat in hanc rem Maimonidis verba exscribere a SCHICKARDO<sup>4)</sup> recitata: *decima prima cedit Leuitis vtriusque sexus. Hanc comedere fas est, etiam si quis impurus sit, et omni loco: non enim sanctitas est, nisi in decimis secundis. At primae sunt profane, adeo ut etiam filia Leuitae scortationibus polluta eas comedere possit.* Haec profecto tam euidentis disparitas non patitur, vt primas decimas atque secundas pro iisdem habeamus. Mirum igitur non est, vtriusque generis decimas a Talmudicis sollicite separari, atque de illis in MAASEROTH, de his vero tanquam separata specie in MAASER SCHENI fanciri.

### §. 7.

Ab hisce decimis, sacratis personis aut in religiosos piosque usus praebendis, differunt illae saeculares decimae, quas subditi Regibus pendunt tributi loco. Neque haec Iudeis ignotae. Postquam enim ad exemplum reliquarum gentium sub Regibus viuere praeoptarunt, ius decimas exigendi

(b) inter

<sup>1)</sup> GODWIN c. I §. 3. <sup>2)</sup> LIGHTFOOT oper. Vol. 2. p. 91.  
<sup>2)</sup> Vid. etiam RECHENBERGER c. I. §. 175. <sup>3)</sup> In regio iur. Hebraeor. theor. XV. p. 272.

inter iura regia perspicuis verbis est relatum. **I. Samuel.**  
**VIII. 15, 17.** atque etiam, si non semper, interdum tam  
in usum deductum. **I. Maccab.** **X. 35, 10**

Caeterum magnam a Deo benedictionem fructuumque multiplicationem exspectabant decimas rite soluentes, eos vero, qui decimas vel plane non, vel fraudulenter praestarent, diuina maledictio coniuncta cum celeri patrimonii decremente manere credebatur Proverb. III. 9. 10. Malach. III. 8. sq. Vnde etiam *notum illud Rabbinorum: decimato, vt diues fias*<sup>2)</sup>. Pro grauissimo peccato reputabatur fructibus non decimatis vefci, vt pote a quo peccato etiam bruta animalia abhorruissent, quam in rem Iudei de asino Rabbini Pinehae referunt, eum adduci non potuisse, vt fructus non decimatos comedederet<sup>2)</sup>. Perinde habebatur fructus suos non decimatos comedere, acsi quis morticina et discepita comedisset, mortique obnoxius talis siebat diuinitus infligendae<sup>2)</sup>.

Haec de Hebraeorum decimis pro modo instituti scripsisse sufficiat.

XIV. Ad vos, Candidati Consultissimi, rursus nostra se se  
oratio conuertit. De vobis autem quid dicamus? Ii pro-  
fecto estis, in quibus non vulgaria deprehendimus omnia.  
Non vulgaris est VESTRA ex gente Virorum eruditio-

ma celebratissimorum origo; non vulgaris in bonis literis,  
 iuriis praecipue scientia proficiendi cupiditas; non vul-  
 garis, quam primo oportebat loco nominare, erga Deum  
 pietas; non vulgaris quoque morum modestia suauitasque;  
 studium denique omnibus placendi non vulgare. Stetitis,  
 postquam a VOBIS, quantum fatis est, in celeberrimo Re-  
 gio, quod ad hanc urbem floret, Paedagogio humaniori-  
 bus Muisis litatum, in huius Fridericianae palestra famige-  
 ratissima, atque ita stetitis, ut quotidie nobis licuet in  
 nostris vos scholis conspicere non otiosos, non ludibun-  
 dos, ut multorum est vitium, sed bene compositos inten-  
 tosque rei, cuius causa eas frequentastis. Verbo rem ut  
 complectamur. Nihil in VOBIS unquam, quod aliqua fuisset  
 reprehensione dignum, sed omnia recta, laudabilia vi-  
 dimus omnia. In hoc constituti stadio per integrum qua-  
 driennium et quod excurrit, magis quotidie profecistis ma-  
 gisque, et ecce, iam metam cum laude contingitis dudum  
 exoptatam. Vastissimum enim vniuersi iuris campum vix  
 emensi, ex laribus Patrii G E O R G I I L V D O V I C I B O E H M E R I ,  
 Viri rerum iuridicarum peritissimi, cuius in conuictu, ne quid  
 neglexisse videamini, quod ad perficiendam perpoliendam  
 que V E S T R A M eruditionem facere posset, postremam vitae  
 academicae partem maximo cum fructu transegistis, vix  
 facti reduces, mox profectus V E S T R O S nobis commisistis ex-  
 plorandos. Dicta consuetis examinibus dies. Comparui-  
 stis in pleno confessu nostro ad propositas V O B I S quæstio-  
 nes tanta cum dexteritate respondentes, versiculosque ex  
 vtroque iure ab Ordinis nostri Decano praescriptos, per-  
 difficultes illos, nec vulgaris argumenti, tam facili resolu-  
 tes negotio, ut exspectationi nostræ non folium satisfe-  
 ceritis, sed eam etiam multum superaveritis, atque

(b) 2 O H A D G M A N N A R I E a i com-



communi nostro calculo, si quisquam alias, vos certe dignissimi sitis reperti, quibus aditus ad cathedralm publicam propediem patefiat, e qua dissertationes VESTRAS, proprio elaboratas Marte, ab aduersariorum increpati-  
nibus propitia, ut nulli dubitamus, vindicabitis Mi-  
nerua. Gratulamur VOBIS, CANDIDATI Consultissimi (hoc  
vnum enim iam reliquum est) intimo animi affectu haecce  
egregia studiorum VESTRORVM initia atque progressus. Gra-  
tulamur PARENTI Optimo tantae spei Filios, quibus fausta  
quaeruis non immerito auguramur. Fortunet Deus Opt.  
Max. et in posterum studia, fortunet conatus VESTROS. lu-  
beat vos secundis vbiique rebus vti, iubeat cedere omnia  
ex animi VESTRI sententia. Valete atque nos amare  
pergit.



Halle, Decr., 1770

V.D.  
18

ULB Halle  
002 169 55X

3



5b



Pri. 10. B. 1. 1.

1770

4

2

B.I.G.

Black

White 3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

PARI FRATRVM

PRAENOBILI,

CANDIDATIS CONSULTISSIMIS,

STO CHRISTOPHORO

NEC NON

OLPHOLVDOVICO  
BOEHMERIS,

QVORVM ILLE

DE

BVS ET OBLIGATIONIBVS EX FEV-  
ORVM OBLATIONE DESCENDENTIBVS,

HIC VERO

DE

OO DECIMARVM, QVOAD PERTI-  
NEAT AD NOVALES,

POST QVAM PVBLICA EXAMINA

CVM LAVDE SVSTINVERVNT,

D. X. SEPT. MDCCLXX.

DISPV TABVNT,

AECCE ERVDITIONIS SPECIMINA,

DE

DECIMIS HEBRAEORVM

PAVCA PRAEFATI, SINCERE GRATVLANTVR

TARIUS, DECANVS, CAETERIQVE PROFES-  
SORES FACVLTATIS IVRIDICAE.

HALAE MAGDEBURGICAE  
LITTERIS GEBÄVERIANIS.

